



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 10. Quid senserit de hac re Tertullianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

QUESTIO X.

Quid senserit de hac re Tertullianus?

Minibus hæreticis in promptu est sententia Tertulliani l. 4. contra Marcionem cap. 40. acceptum panem corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum dicens. Id est, figura corporis mei.

Integra verba Tertulliani sunt ista. Professus itaque se sententia concupisse edere passus ha vi sum, (indignum enim vi quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distribuit discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicens, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset panis, sed esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, capere non posset, aut si propterea panem corpus suum fecit, quia corpus careret veritate, ergo panem debuit trahere pro nobis, faciebat ad veritatem Marcionis, ut panis traheretur, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veritatem, istam figuram corporis Christi, dicens per Hieronymum: Adversus me cogitauerunt cogitatum dicentes: Per panem, conuenimus lignum in panem eius, sicut est crux in corpore. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc viderit, faciebat panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Sic & in eo mentione testamentum constituitur (sanguine quo obsecratur, substantiam corporis confirmat. Naliam enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis).

Hæc Tertullianus probaturus Christi corpus verum fuisse, non vi illi iactabant phantasticum.

Daplex est apud Pammelium, & Claudium Sanderum solutio. Prima vocari panem veteris testamenti, qui figura fuit corporis Christi. Deinde figuram non semper veritatem excludere. Pammelii commentum in Tertullianum ita habet. Intellectum cum alii alium reddant, certe originem suam habere videntur illi, quorum in his maxime placet interpretatio ex scholio marginali Gervæ in editione Parisiensi, hoc nempe: nihil de veritate corporis Christi detrahi, propterea quod tota hæc oratio interpretatur non ad nouum sacramentum eucharistie, tanquam illud reuertitur figura, sed ad panem de quo Hieronimus 11. locum hic citat: ratione, quæ panis oblatum & conuersus in sacrificiis naturæ & legis, tam tum figurabat, consociandum tempore Eucharistie, Christi corpus, ex materia & sub specie panis manducatum: De illa enim figura, quæ fuit olim sub lege, non de illa quæ Christo insinuebatur, Tertullianum loqui; patet ex eo, quod veterem figuram appellet, tum de pane dicens: non intellexi veterem fuisse istam figuram corporis Christi, tum de calice paulo post: Vt autem & sanguinis veterem figuram in vino cognoscam. Conuenit autem hæc interpretatio, cum totius loci scriptura, ubi non aliud conatur auctor ostendere, quam in nouo testamento, & non testamenti, ex eo, quod veteris testamenti figura, non testamenti veritate adimpleantur. Quod dicitur fuit inter cetera etiam testimonium supradictum adfert. Item, 11. Venite mittamus lignum in panem eius, id est, in panem non modo hic explicat Tom. 1. lib. aduersus iud. cap. 10. & supra lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 19. Crucem in corpus eius, similiter etiam paulo post adfert testimonium illud Genes. 22. Laniabit in vino solum suam, & in sanguine vine amicum suum. Atqui ut probet, panem antiquius veterem fuisse dominici corporis figuram, adfert verba hæc Evangeliste: acceptum panem & distributum discipulis suis, corpus suum illum fecit, similiter uti probet: Vino antiquius figuratum Christi sanguinem, infra dicit. Ita & nunc sanguinem suum in vino conuertit, qui tunc vinum in sanguine figurauit, sicut autem hoc obscure loquitur, & quasi contrario sensu, pro eo quod dicitur debuerat: qui tunc sanguinem in vino figurauit, ita & primo quum supradicta verba adiecit: Hoc est corpus meum dicens, id est, figura corporis mei, etiam quasi contrario sensu loquitur, pro eo quod dicitur debuerat conuenienter suo instituto: panem nempe fecit Christus corpus suum in noua lege dicens: Hoc est corpus meum, quod in veteri lege erat figura corporis sui. Sic autem debere intelligi probatur ex verbis Adami Conzen in Euang. Tom. 1.

immediate sequentibus: Figura autem non fuisset, quum aliquis dicere debuisset. Eset, si in noua lege figuram corporis sui agnosceret. Et vero senon loqui de noua corporis sui figura, sed veteri, (vbi paucis iam diximus ex Gagno, patet manifeste ex illis verbis: Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis pepomem, quem Marcion cordis loco habuit; non intelligens, veterem istam figuram fuisse corporis Christi? Et rursum subiiciens: Itaque illuminator antiquitatum (nempe Christus) quid tunc (nempe in veteri testamento) voluerit significasse panem, satis declarauit corpus suum vocans panem, indicat quod tunc panis significaret corpus Christi, non vero quod nunc id significet. Simile est etiam illud: Vt autem & sanguinis veterem, non nouam figuram recognoscas. Et quod habet paulo post: ac nunc id est in nouo testamento, sanguinem suum in vino conuertit, qui tunc (id est in veteri) vinum in sanguine figurauit. Denique, similia erant sunt verba, dictis locis lib. adu. Iudeos, & lib. 3. adu. Marc. ubi locum hunc Hier. 11. citat. Porro si hæc loci obscurissimi interpretatio, cuiquam non satisfaciat, vel persistat in hoc, quod etiam nunc (id est in nouo testamento) appellauerit auctor sacramentum istud eucharistia, figuram corporis sui, fateor cum B. Augustino lib. adu. Adimantum Manich. cap. 12. esse in eucharistia etiam figuram corporis Christi, seu figuram, sed eo modo quo, sanguis anima, animalis signum dicitur, nempe non nudum signum, sed etiam quo ipsa res significata continetur. Est enim corpus Christi, ut idem B. Augustin. in eucharistia tradit in sententia Properi, & veritas & figura, veritas dum sita etiam corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius, ex panis, vinique, substantia efficitur, figura vero, quod exterius sensu signata, et vero nihil obulare, quum idem & veritas sit, seu substantia, & tamen figura, siue effigies, aut similitudo dicatur; patet ex ipso etiam Tertulliano, infra lib. 5. tractante epist. ad Philip. Plane (inquit cap. penult.) de substantia Christi putant & hic Marcionita Apostolum, sibi suffragari, quod phantasma carnis fuerit in Christo, cum dicit, quod in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit parari Deo, sed exhausti semetipsum, accepta effigie serui, non veritate; & in similitudine hominis, non in homine; & figura inuentus homo, non substantia, id est, non carne. Hactenus argumentum Marcionis. Quid autem responderet Tertullianus? Quasi inquit, non & figura & similitudo, & effigies substantia quoque, accedant. Bene autem quod & alibi Christum imaginem inuisibilis Dei appellat. Nunquid ergo & hic, qua in effigie hominis constitutus. Vtrobique enim veritas, necesse habebit excludi; si effigies & similitudo & figura phantasmata vindicabitur. Ceterum nobiscum consentire videtur, quod ad priorem nostram huius loci interpretationem attinet (quamuis inuitus) Caluinus, dum alicubi conficitur: figuram non cadere in vocem corporis, sed in vocem panis; quemadmodum ipsi illius verbis comprobauit. Dn. Claudius de Sanctis in examine doctrinae Caluini, & paucis repetit in Apol. aduersus Beza; pag. 139. Hactenus de vera sententia Tertulliani, quod ad veritatem corporis & sanguinis Domini in eucharistia (de qua etiam supra lib. de Resurr. carn. cap. 8. num. 76. attinet. Qui vero aliorum Patrum de eadem testimonia requireret, videat, adnot. nostras. Tom. 2. lib. de orat. cap. 6. num. 23. & latius ad librum de lapsis B. Cypriani, num. 82. & ad Epist. 63. ad Cæciliam, num. 12. Denique & nostra Liturgica latinorum, ubi frequentissimam habes mentionem, sacrificij corporis & sanguinis Domini, per singulas fere paginas, ex diuersis sex primorum seculorum latinis Patribus, & vero etiam grecis a pag. 1. vsque ad 93. cum illud a Christo institutum, & ab Apostolis visitum late comprobauimus.

Hæc adducere operæ precium fuit, quia valide multis allatis institutum probat. §. 2. Alia tamen à qua non abhorre videtur Ebroicensis, mihi solutio & facilima, & planissima videtur. Nempe hæc verba: Id est figura corporis mei, non esse Tertulliani affirmantis, corpus meum in Christi propositione significare figuram corporis, sed Marcionis interpretantis, corpus, id est figura corporis. Tertullianum autem cum probare vellet Christum

Explicatus
sacra-
mentum Ter-
tullianus.

habuisse verum corpus, non phantasma corporis, verum esse loco evidenti, Christus enim dixit. Hoc est corpus meum. Habuit igitur corpus: Nam sciebat glossam Marcioni calvinisticam. Nimirum dicere Marcionem, corpus id est, figura corporis; atque ita hoc ipsum, quod ab ipsis responderi sciebat, sibi Tertullianus obiicit. Panem fecit corpus suum. Dicendo: Hoc est corpus meum, quod quidem vestra ò Marcionitæ hæresis interpretatur, figuram corporis mei, sed ne sic quidem idem enaditis, si est enim figura corporis, non est figura phantasmatis, sed veritatis, vrget ergo hæreticos, ut potest, ex cōcessis. Martyr in celebri disputatione contra Oxonienses fatetur esse argumentum contra Marcionem. Et hoc modo format rationem.

Rei phantastica non est figura; nam figura rem veram significat.

Sed hoc sacramentum est figura corporis Christi.

Ergo corpus Christi non est rei phantastica.

Hoc argumentum esse concedimus, sed minorem diximus esse ex concessis, seu ex sententia Marcionis, non Tertulliani. Vterque enim Guilhelmus Chædæus aduersarius Martyr respondit. Verba Chædæi sunt. Et ad Tertullianum respondeo. eum in Marcionem scribere, qui ponebat Christi corpus esse phantasticum: fatebatur autem in Christo figuram corporis humani. Vnde Tertullianus arguebat à concessis à Marcione. Argumentum sic inducebat. Quod est phantasticum non habet figuram: ut concedebat Marcion. Ergo Christus verum corpus habet, non phantasticum. Fuitque iste scopus Tertulliani, & ex necessitate sic arguebat, ut confunderet hæreticum & erat violenta collectio. Vnde hic in summa est sensus Tertulliani, Christo figuratum & phantasticum corpus attribuebat: & in sacramento tantum non negabat esse corpus Christi, id est figuram corporis. Hinc arguit figuram non esse corpus, nisi etiam verum corpus extaret, quia non est figura nisi veritas.

Hanc esse sententiam Tertulliani probo, quamvis opus probatione non sit, sed aduersariis probatio incumbat, & responsionis destructio. Sed sententiam Tertulliani expendamus. I. contra Iudeos c. 10. De hoc enim ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam quod esset dicturi: Venite mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius. Vtq; in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans cuius retro corpus in pane prophetæ figurauit.

Vbi panis & Christi verum corpus, quod crucis lignum sustinuit, & Christus reuelauit, corpus suum, verum scilicet, panem appellans. Nempe dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et aduersus Marcionem l. 3. c. 19. ait dominum corporis sui figuram pani dedisse; nempe in quem lignum miscrunt Iudei; Et addit: Ipso domino sacramentum hoc postea interpretatur. Et de orat. c. 6. quem locum etiam Magdeburgenses alique producant. Et c. 7. de Idololatria. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit angemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire de aduersaria officina in domum Dei venire, astollere ad Deum patrem manus, matres idolorum bis manibus adorare, quæ forte aduersus Deum adorantur, eas manus ad mouere corpori Domini, quæ demonis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsa tradunt aliis, quod contaminauerunt.

Et de resurrectione carnis. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Distinguit carnis & animæ cibum, caro vescendo, anima credendo saginatur. & l. de pudicitia opimitate dominici corporis pascitur. & l. 1. aduersus Marcionem c. 14. Et panem quo ipsum corpus representat, quod non est significat, ut cioli putant, sed phrasi latina; pascens sistit. ita c. 14. de resurrectione carnis. & c. 17. carnem representandam iudicio. & c. 23. Non representatio, sed expectatio, & c. ultimo, ut

Representatio.

rursus ex illa representetur Adam, ita Latine dicimus representare solutionem, hoc est, offert præteritum.

Quibus ex locis constat de sententia Tertulliani, eum verum Christi corpus agnoscere, cuius figura fuerit panis, & id non modo ex Christi verbis probare, quæ Christus protulit, sed etiam ex eisdem glossa Marcionis deprauatis asserere.

Porro non modo Tertulliano tantum est vitiosissimum breuiter aduersarii argumenta sine illius noua mentione recensere, & solvere, sed aliis etiam scriptoribus. Tertull. de corona militis. c. 2. Quis facit disciplina? Vtrumque recipiet, quasi neutrum prohibuitur. An vtrumque recipiet, quasi neutrum preceptum sit: sed quod non prohibetur vltro permixtum est. Imo prohibetur, quod non vltro est permixtum.

Aur lane reponit ex vero contra falsas criminationes aliquid, accusabant gentes cænas Thyestæ Christianorum. Tertullian. apol. c. 9. Vbi sunt item illi, qui de arena feris obsonis cenant? qui de apro, qui de Cerua petunt? Aper ille quem cruentis colluctando detestatur. Cerua ille in gladiatoris sanguine iactant. Ipsorum vtrumque appetuntur cruditates adhuc de visceribus humanis. Rursum proinde ab homine caro pasta de homine. Hæc qui edunt, quantum abest à conuiuio Christianorum?

An ergo etiã talia conuiuia Christianorum? abest. Sed intelligendus est dicere, à conuiuio Christianorum, qualia vos illis affingitis. Ita plane ac si Calvinista pronuntiaret. Edere corpus Christi, esse credere. subiiceret Lutheranus. Corpus Christi, id est figuram corporis, in figuram igitur credis. Aut si orthodoxus ex principiis propriis Calvinianos confutans dicat. Christus, hoc quod manibus gestabat suis, corpus suum dixit, hoc est, figuram corporis, at vero illud ipsum pro nobis dari asseuerat; figura igitur pro nobis data est?

Porro confirmat hoc mirifice scopus Tertulliani, qui ex Lucæ Euangelio, quod commune erat vtrique, Marcionem conuincendum susceperat, nam id solum Marcion, licet à se mutaret, & adulteratum admitteret. Quocirca in fine l. 4. Misereor tui, inquit, Marcion, frustra laborasti, Christus enim Iesus in Euangelio tuo, meus est. Et c. 6. Sed alium iam hinc iniunxi gradum, ipsum, (ut profectus sumus) Euangelium Marcionis pronuntians. Sic quoque probatur adulteratum. Cum ante Marcion Christum omnino phantasma diceret, ubi corporis eius erat mentio, aut debebat, aut in phantasma mutabatur. Hinc totum esse phantasma quod speramus à Christo, concludit Tertullianus de carne Christi c. 5. Amat admodum concessionibus illis ludere Tertullianus. Natus est Dei filius: non puderet, quia pendendum. & mortuus est Dei filius: prorsus credibile est, quia ineptum est. & sepultus, resurrexit: certum est, quia impossibile est. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non verum habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, quod resuscitaretur: carnem scilicet hanc sanguine suffusam ossibus substructam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci & mori nouit, humanam sine dubio, ut natam de homine.

Concedit, pudendum, ineptum, impossibile, ut inde prober veram eius carnem. Id vero in refutationibus & poetis & oratoribus perpetuum fere, dum plura refellunt. Sic Iuno.

Aeneas ignarus abest.

Tacitæ personæ inimicæ, dictum eius recitat.

Concludo itaque Christum vere, realiter, substantialiter corpus suum dare discipulis; eamque effectotius antiquitatis sententiam: Et omnium Ecclesiarum etiam Orientalium: Sic etiam Hieremias patriarcha Constantinopolitanus Germanis respondit. ἐν τῇ τῆς πίστεως αὐτῆς αὐτὸ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

